



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput quintum. De morte Regis Henrici, & quamvis sera ejus resipiscentia,
ac testamento ejusdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

VI. Hoc modo quum Henricus tum ab eo, qui Protestantium causa favebat, tum ab Anna Clivenfi sese expedivisset, non tamen destitit quidvis in visum ipsi esset, caedi destinare, ita crudelitatis assuetus, ut vix vivere sibi videretur, nisi sanguinem quotidie effunderet. Unde ad III. Augusti, tres viri Catholici Theologiaeque Doctores, Thomas Abelus, Edovardus Povelus, & Richardus Fetersthonus, extremo supplicio affecti fuerunt: quo etiam ipso die tres haeretici Zvingliani, Barnus Gerardus & Hieronymus mortem subire coacti sunt: ita quidem, ut singuli Catholici cum singulis haeticis (detestabili prorsus copula) in eadem crate conjungerentur, hoc est, mors vitae, tenebris lumen, & infernus Paradiso sociarentur. Cujus rei novitate quum omnes obstupescerent, Palatinus quidam ex Henrici aula petiit, quanam cuique causa mortis esset: quumque accepisset, alios ob Religionem Catholicam defensam, alios ob eandem impugnatam morti esse adjudicatos: *nae (inquit) in posterum ergo Regia Religionis ero, hoc est, nullius.* De aliis pluribus praeterca, quod nollent Ecclesiasticum suum Primatum agnoscere, supplicium Henricus sumit.

Desperata jam in Anglia Regno causa Religionis, quum aliud remedium superesse non videretur, nisi ut Religio omnis abjiceretur, spes tamen exorta est nova, omnia in integrum restituendi: sed eam eventus fefellit. Anno 1541. habita sunt Ratisbonae Imperii Comitia, praesente Carolo Imperatore, de aliqua concordia in negotio Religionis, si fieri possent, ineunda, cujus etiam rei causa Paulus III. Pont. Cardinalem Contarenum cum Legati auctoritate eo destinaverat. Rex etiam Henricus eo misit Henricum Cnevetum, equitem auratum, & Stephanum Gardinerum Vintoniensem Episcopum, partim ut eam, quam in fidei negotio ipse rationem sequebatur, qui Lutheranismum amplexus non fuisset, sed aliud a Catholicis & Protestantibus diversum schisma introduxisset, Germaniae Principibus probarent: partim ut rationem quandam cum Caesare inirent, qua ad Universalis Ecclesiae communionem Henricus rediret. Iam enim tumultuationum distractionumque quibus innocens Ecclesiae tunica discindebatur, pigere ipsum incipiebat.

Sed non fuit ita firmus & constans hic Regis animus, quin decretum eius mundanae rationes impedirent. Nam ut salvo suae Majestatis honore de

hac reconciliatione ageretur, negotium suis dederat, honor autem iste Deo & Ecclesiae ipsius in ignominiam cedebat. Redire enim, unde abierat, volebat: at reddere Ecclesiae quod rapuerat, non volebat nec ullam admittebat mentionem poenitentiae, aut publicae enormium suorum criminum confessionis, quam tamen in recipiendo peccatore poenitenti intervenire debere, Ecclesiasticis Canonibus sancitum est. Itaque negatus illi est ad Christi ovile aditus, propterea quod intrare, non in totis ab errore revocata, sed ut lupus cogitabat. Quamquam nescio an satius futurum fuisset, si ex praescripto harum legum, quamvis nefas sit eas violare, in hoc quidem casu, qui poterat emendationem in aliud tempus promittere, actum non fuisset. Eodem tempore Henricus, quo de salute animae suae disceptabat in conventu Ratisbonensi, uxori suae interitum in Anglia meditabatur: quae adulterii apud Regni Ordines, ipso accusante, convicta, cum matris suis Thoma Colpepero ab Culpepero, & Francisco Dirhamo ab Durantio neci data fuit. Henricus, quamvis post repudiatam Caesaris matertera Catharina infelicissime ipsi matrimonium cederent, non tamen a sextis nuptiis contrahendis absteritus, Catharinam Parram viduam, Baroni Latimero prius nuptam, quae Comitissae Essexiae soror fuit, uxorem duxit Anno 1543. hoc solo beatam, quod Rex prius e vita sublatus est, quam ex vita ipsam (id quod in animo habuisse dicitur) ob haereticum crimen, cui se infensissimum profitebatur, sustulisset.

DE MORTE REGIS HENRICI, ET quamvis fera eius respicientia, ac testamento eiusdem.

CAPUT QUINTUM.

ARGUMENTUM.

- I. Henricus ades sacras, hospitalia, Seminaria, Collegia, diripit ac destruit, & Thomam Harvardum supplicio addicit.
- II. Morbo affectus, magna animi consternatione ab Episcopis ad se accersitis consilium ac modum reconciliationis cum Ecclesia exquirat.
- III. Franciscanorum templum restaurat, ac solenne Missa sacrificium restituit: testamentum condit: sub una tantum specie Eucharistiam sumit, summa cum reverentia & honore ac tandem obit.

IV. Leo

IV. Leonis X. Bulla seu decretum quo Henrico Deser-
foris Fides titulus tribuitur.

V. Mores & ingenium Henrici VIII. regis.

VI. Monumentum eius memoriae à Cardinali Polo
constructum.

QUUM huius quoque novae Catharinae tæ-
dium Henrico obrepisset, redijt ad mores
suos, nec content⁹ sacrilegijs, caedib⁹, deustationi-
b⁹, incæstibus, nec satis habens, Ecclesiae bona
expilasse, omnia quaecunq; potuerat, iniustissime
depradasse, Monasteriorum etiam plumbum, &
lapides, & ligna vendidisse, thesauros Reliquia-
rumque arcas diripuisse, & Martyrum cineres
vento commisisse quinimmo parum existimans,
ex insatiabili opum cupiditate populum suum
nouorum vestigalium impositione exhaustum, æ-
stimatis subditorum suorum bonis, eorum
bonam partem ad se rapuisse, ad subueniendum
luxui & stultissimis erogationibus suis mone-
tam, per summam iniquitatem adulterasse: his,
inquam, rebus omnibus nondum exfatiatus
non modo Anno 1545. VIII. Cal. Decembris, ex
omnibus censibus annuis totius Angliae tam
Decimam quam Quintamdecimam sibi solu-
endam instituit, verum etiam potestatem summam
accepit in Prochotrophia & Xenodochia, in om-
nia etiam Nosocomia, Seminaria & studiosorum
Collegia, & in omnes denique Missarum funda-
tiones, adeo ut nihil iam superesset ab eius tutum
libidine. Et hic quidē Henrici aduersus Ecclesiam
furoris vltimus impetus fuit. Cruditatis vero
suae postremum exemplum edidit in Thomam Ha-
uardum Norfolkiae Ducem, equitem auratum iam
senio confectum, perpetuis carceribus ad iudica-
tum: tum Henricum: Surriae Comitem, securi per-
cussit, quorum vtriusque opera in omnibus bellis,
patris vero etiam in peruersis suis consilijs pro-
mouendis, vsus fuerat. In quo parem euentum
fortitus est cum reliquis, quos vidimus, ut Henrico
se probarent, patris maxime omnium detestabi-
libus sceleribus in maximas calamitates & igno-
miniosam mortem incidisse, ut Volfaum Cardina-
lem, Annam Bolenam, Grajum, Careum, Hut-
tonum, Thomam Georgiumque Bolenos, Crom-
uelum: & infra videbimus Cranmerum Cantua-
riensem Archiepiscopum, qui contra Serenissimam
Catharinam sententiam pronunciauerat, à Maria
Catharinae filia, iustissimo iudicio flammis tradi:

ut intelligatur, poenam coelitus decretam, a nullo
cuitari posse, sed ferius ocyus quibusque digna
factis praemia reponi, Quin etiam postea, rerum
potiente Elifaberha, illius quem diximus, Surriae
Comitis maior natu filius Thomas Hauardus post-
quam in euertendo bono publico Regni Anglici,
& extirpanda Religionis Catholicae memoria
quantum potuerat allaborasset, tandem ipse quo-
que existimationem vnā cum vita, publico af-
fectus supplicio, amisit, Sed quum omnes fere,
qui Henrici libidinibus manus administras praë-
buerant, per ipsius Henrici manus Deus puni-
uisset, ad extremum etiam ab ipso poenas repe-
tere eidem est visum, ut intelligeret, quam sit for-
te brachium Domini: & ut pateret nunquam
quemquam per aliena mala ad sincerum bonum
peruenire, & quamvis per diuersa intervalla eun-
dem tamen omnibus finem instare.

II. Henricus igitur in morbum incidit, quo
etiam extinctus est. Hæc illi turpissimarum vo-
luptatum, quibus animam suam inquinauerat,
pendenda vsura fuit. Iam qui toti modo ruinam
minitabatur, qui ipsi etiam caelo machina-
batur interitum, qui indomitus, inuitus atque
adeo omnibus formidabilis fuerat, eum ecce mo-
mento temporis superatum, prostratum, & duo-
bus aut tribus paroxysmis pæne oppressum! Mori
vicinus, in magno conijcitur trepidatio-
nem & metum, sola eius cogitatione finem ipsi
accelerante. Iam omnium, quaecunq; vnquam
nequiter designauerat, animum subiens memo-
ria territabat: Iam quantum cruciatum ipse sub-
ditis suis à se morte affectis, infligerat tantum
sibi in vnica morte paratum cernebat. *Hæc illum
hora docuit, vitam nostram nihil nisi Comœdiam quan-
dam esse (quamvis quæ ipse gesserat, potius cru-
entæ cuiusdam Tragœdiæ nomen mererentur)
nec quam diu, sed quam bene acta sit, referre: hæc
didicit, quamvis magnum annorum numerum, post-
quam effluxit, instar vnicuius momenti, aut vnius
diei nobis esse, ideoque bene vivendo huc esse contem-
dendum, ut vnicuius dies sit nobis instar ævi in-
tegræ.* In his angustijs constitutus, singulis ho-
ris in memoriam sibi reuocabat, exiguo illo, quod
exegerat, vitæ spacio, quantis malis popu-
lum suum affecisset. Ita tacta diuinitus consci-
entia, quum penitus intimos eius recessus excussis-
set, iam incipiens meditari salutem suam Prin-
ceps miserrimus, statuit reuerti ad Ecclesiam, per
quam

quam datur accessus ad cœlum, & in hanc sacram Arcam se recipere, ut à tam vasto hæresium dilu-
uio, quod orbem terrarum inundabat, immunis
esset. Conuocatis igitur Episcopis nonnullis, de
hac re consultationem instituit. *Est enim, ut malis
calamitatibusque pressi, plus consilij, sapientia & san-
ctitatis habeamus, quam fortunam prosperam expe-
rientes, cuius fauore velut inebriati, amissa iudicandi
facultate omnia nobis amica, nihil infestum opinamur:
prorsus quasi irreconciliabile bellum esset prosperitati
cum recto iudicio, & blandienti fortune cum
bona mente.* Deficientibus iam viribus, Henri-
cus in ipso agone receptui canens, consuluit E-
piscopos, qua ratione ad Ecclesiæ vnionem, quam
adeo crudeliter ruperat, redire posset. Illi quam-
uis quid factu opus esset, probe intelligerent,
tamen quid Henrico responderent hæsitabant.
nam cum, qui nihil non scelerum libere audebat,
libere alloqui nemo audebat. Versabantur ante
oculos complura exempla eorum, qui quum sen-
tentiam iussi à Rege dixissent, tamen neci eius-
dem mandato dati fuerant. Hic eos metus reprime-
bat, ne pectoris sui sensa patefacerent aut verita-
tatem Adeoque vnus ex Episcopis respondit, *Regem
omnibus viris sapienterem esse, & diuino consilio Ec-
clesiæ Romanæ Primatum abdicasse.*

Ecce tibi in horum tergiversatione & adulatione
tormenta & gehennam eorum qui Principi-
bus placere vnice student: qui sane es nomine in-
felices censendi sunt, quod veritatem raro audi-
ant, ut quæ odium plerumque parere solet Nihil
est aulicis hominibus fucatus simulariusve
Principis sui fauorem vel Cœli ipsius iactura e-
merent. Quamquam Vintoniensis Episcopus fe-
orsim Regi suasisse dicitur, *ut convocatis Regni Or-
dinibus, rem tanti ponderis, vnde Anglicani Regni
vel felicitas vel exitium dependeret, cum illis commu-
nicaret; id ipsi, tum ad nominis gloriam, tum ad tran-
quillitatem conscientie plurimum profuturum. Quod
si ad eam rem, vi morbis inualecente, spacium tem-
poris non daretur, saltem voluntatem ipsam & co-
natum minime inutilem futurum. Deo enim vel so-
lum cordis votum non minus gratum futurum, quam
si voto suscepto per omnia respondisset.* Sed non ita
firmas radices egit in Henrici animo hæc mo-
nitio, quin parasitorum superuenientium voces,
quamcumque illa ingenerauerat bonam volunta-
tem, iterum evelerent. Verebantur enim, ne
de bonis Ecclesiasticis, quæ ipsi inuaserant, con-
troversia illis moueretur, & ne ad reddendum,

quæ iniusto titulo possidebant, adigerentur.
Ad nihil igitur aliud valuit hæc Henrici cum
Episcopis de restituenda vnitate Ecclesiæ ora-
tio, quam ut vermem quendam in peruerso & cau-
teriato eius animo relinqueret, qui tum quidem
grauiter eum læsit, postmodum vero vsque adeo
excarnificauit, ut post tam multa patrata sce-
lera, voluntatem conciperet vnus opus bonum
faciendi: quod quidem opus pauperibus. in ma-
gnas angustias iam redactis, insignem commodi-
tatem attulit.

III. Vigesimo enim & primo die ante mortem,
iussit aperiri & purgari Ecclesiam Fratrum San-
cti Francisci, quæ ad eum vsque diem, pulsus Mo-
nachis, clausa remanserat: voluitque Missam in ea
celebrari, eamque parochialem fieri tertio Nonas
Ianuarij Ad quam solennitatem congregato vni-
uerso populo, freudentibus ac pudore suffusis
Lutheranis & Zuinglianis Hæreticis, Episco-
pus de Rochester, Regis Eleemosynarius, ad
continuanda Religionis Catholicæ pia exercitia
populum exhortatus, Regis pietatem ac munifi-
centiam collaudauit, qui in medio tantarum
confusionum in Regno suo, in quæ Ecclesiæ
honus nimium iam emarcuerat, eiusdem renas-
centis noua germina videre cuperet. Quæ res
tantum excitauit in multitudine gaudium, ut
vix à lachrymis sibi plerique temperare possent.
Pergens Episcopus literas protulit, quibus sua
Maestas in vsus pauperum perpetuos, præ-
dictam Ecclesiam Franciscanorum, iam Regis
auctoritate parochialem factam, vnâ cum Sancti
Bartholomæi hospitali eidem annexo, annuisque
censibus aureorum fere mille, duabusque alijs
parochialibus Ecclesijs, Sancti Nicolai & San-
cti Eduini, ciuitati Londinensi dono dabat;
ea conditione, ut omnes istæ tres Ecclesiæ, in
vnâ illam, quæ Monachorum erat, coalesce-
rent, eaque perpetuis deinde temporibus hac in-
scriptione notaretur: *Ecclesiæ Christi ab Henrico
octavo Angliæ Rege fundata.* Et hæc quidē quam-
uis nimis vilis & exigua admodum factio ef-
fet pro tot prius factis direptionibus, spem tamen
atque eâ spectationem hominum superabat. Sem-
per enim ita crudeliter & barbare Regnum ad
ministrauerat, ut ne optari quidem ad extre-
mum exigua illa restitutio, nec tam placidus vitæ
exitus posse videretur. quamuis ne tunc quidem
à perpetrandis ijs, quæ minime ipsi licebant,
abstineret. Quibus ita constitutis, augefcente æ-
gritudine,

gritudine, de successore cepit cogitare Prævidebat enim tumultus & bella, quæ existere possent propter implicatissimas tot vxorum rationes. Nam quum sex habuisset, tres Catharinas, duas Annas, & vnā Ianam: ex Catharinis primam repudiavit, secundam adulterio conuictam supplicio affecit, tertiam superstitem reliquit: ex Annis, Bolena quidem, plurimorum malorum radix, ob coniugij fidem violatam capite plexa est, altera vero dimissa: Iana denique aperto ad fœtum seruandum vtero periijt, Augebant hanc sollicitudinem varia fororum eius, in Scotia, Gallia, & Anglia matrimonia. Itaque rogatus ab Ordinibus Regni, vt ipse statueret, quis cuique in Regni successione iuris ac rationis esse vellet, Testamentum condidit, & in eo statuit, vt Eduardus filius ex Iana Seimera, nouem annos natus primas omnium regnandi vices acciperet: cui sine legitimis hæredibus defuncto, Maria ex Catharina filia succederet: Maria similiter sine liberis mortua, ad Elisabethā Annæ Bolenæ filiam coronæ deuelureretur: postea his deficientibus, ad illos transiret successio, ad quos iure communi pertineret. Deinde impuberi filio sedecim constituit Tutores & Curatores, qui in fide Catholica cum educarent, quos adiuravit, vt in hæresibus tanquam peste hominum, ex Angliæ Regno exterminandis omnem operam collocarent. Ad hunc modum in media illa perturbatione, compositis rebus, quum ægritudo maiores indies vires acquireret. Missam celebrari iussit: quumque sub vnica specie (quod semper obseruauit) communicaturus, de cathedra, in qua sedebat, assurgeret, vt genibus in terram defixis, Saluatoris nostri Corpus adoraret; Zuinglianus autem quidam, qui adstabat, diceret, posse Maiestatem suam in hac imbecilli valetudine sedentem in cathedra Eucharistiæ percipere: diuino affatus zelo respondit, Si me non modo vsque ad terram dei iocrem, sed & sub ipsam terram demittere, nescio quidem satis honoris huic Deo, in quo quicquid profecto profectum est, mihi videretur delaturus. Instante mortis articulo, pateram vini albi popofcille dicitur, & hæc verba dixisse: omnia perdidimus; deinde inter mortuis vocibus, Monachorum nomine aliquoties ingeminato expirasse; non alia relicta sui memoria, quam quod diu, quidem, sed male vixisset. An. 1509. VIII. Kal. Iul. orsus regnare Regnavit annis triginta septem mensibus decem, diebus sex, quorum fere viginti vnum in pace Catholica transegit, sed reliquo tempore supra fidem crucentis exhibuit tragœdias,

desijt autem An. 1547. ætatis 66. Indole fuit generosa quidem, sed nimis mulierosus & voluptarius. Nam libidinis causa ab Ecclesia secessionem fecit, propterea quod Summus Pontifex non permitteret ipsi optimam Reginam Catharinam repudiare, vt in matrimonium assumeret lasciuam illam Bolenam, quæ postmodum effrenata libidinis condignas subiit pœnas. Litteras amavit: & edito aduersus Lutherum libro, magnificum sibi titulum acquisiuit: quam rem quia supra quoque attigi, visum est operæ precium hoc loco apponere Leonis Decimi Pontificis Constitutionem, qua insignem titulum *Defensoris fidei* Henrico non diu inhæsurum assignauit.

Cum super dilectus filius Ioannes Clericus Maiestatis tuæ apud nos Orator in Consistorio nostro coram venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, librum quem Maiestas tua fidei Catholice zelo accensa, ac deuotionis erga nos, & hanc sanctam sedem seruore inflammata, contra errores diuersorum hæreticorum sepius ab hac sancta sede damnatos, nuperque per Martinum Lutherum suscitatos composuisti nobis examinandum, & auctoritate nostra approbandum obtulisset; ac luculenta oratione exposuisset, Maiestatem tuam paratam esse, vt quemadmodum veris rationibus, & irrefragabilibus Sanctæ Scripturæ ac Sanctorum Patrum auctoritatibus notorios errores eiusdem Martini confutauerat; ita etiam omnes eos sequi ac defendere præsumentes, totius Regni sui viribus & armis persequi, &c. Nos qui Petri, cui Dominus gregis sui curam supremam commisit, successores sumus, & in hac sancta sede à qua omnes dignitates ac tituli emanant, sedemur habita super his cum iisdem fratribus nostris matura deliberatione, de eorum vnanimi consilio & assensu, Maiestati tuæ titulum hunc, videlicet, *Fidei Defensorem*, donare decreuimus; prout te tali titulo per presentes insignimus; mandantes omnibus Christi fidelibus, vt Maiestatem tuam hoc titulo nominent; & cum ad eam scribent, post dictionem, *Regi*, adiungant, *FIDEI DEFENSORI*.

Et profecto, huius tituli excellentiæ & dignitate, nullum neque dignius, neque Maiestati tuæ conuenientius, nomen, consideratis meritis, excogitare potuissimus: quod quoties audies aut leges, toties propria virtutis optimiq; meriti tui recordaberis; nec huiusmodi titulo inuemesces vel in superbiam eleuaberis, sed humilior & in fide Christi & deuotione huius sanctæ sedis à qua exaltatus fueris, fortior & constantior euades: ac in Domino honorum om-

nium largitore, letaberis perpetuum hoc & immortalis gloriae tuae monumentum posteris tuis relinquere, illisque viam ostendere, ut si tali titulo ipsi quoque insigniri optent, talia etiam opera effecere studeant. &c. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo vigesimo primo quinto Idus Octobris Pontificatus nostri anno nono.

Ecce ad caelum usque euectum laudibus nomine Henrici hac Pontificis Constitutione. Libro autem eius non parum territus Lutherus indignabatur eum illum ex Anglico in Germanicum sermonem ab Hieronymo Emsero conuersum passim esse in Germanorum manibus) statim conatus est respondere. In cuius responsionis Praefatione in hanc sententiam scribit: *Ad me quod attinet, ego illis sive Patrum, sive hominum, sive Angelorum, sive demonum testimonijs, non inueteratam consuetudinem opponam, non hominum multitudinem, sed aeterna Maiestatis sermonem, sed Evangelium, quod ipsi cogentur approbare. Hic sum, hic consisto, hic maneo, hic me iacto, hic triumpho, hic Papistas, hic Thomistas, hic Henricistas, & omnes inferorum portas subsannabo. Diuinae Maiestatis si fragio nitens, non mille Augustinos non mille Cyprianos non mille Henrici Ecclesias aduersum me insurgentes reformido.* Hoc libro innumeris iniurijs onerat Henricum Lutherus, & cuius fuerat ab Henrico accusatus conuictusque, negat se vnumquam in scriptis suis falsa testimonia allegasse. Pro Rege deinde complures viri docti replicarunt, Eccius & Murnerus in Germania, ex Anglis vero Rochestriae Episcopus & Thomas Morus, Lutherus in Responsione sua protestatus fuerat, maledictis & mendacijs se nunquam, Regem vero in libro suo saepius usum fuisse: quae quidem indignissima contumelia fuit, iniuste in hunc Principem iacta. Cuius contrarium Murnerus ostendit. Quinquaginta enim mendacia, cum pudore impudentissimi haeretici, in libro eius notauit, collaudato praeter illo *Defensoris Fidei* titulo, dato huic Regi, & Successoribus eius ijs, qui rebus laudabiliter & pro Ecclesiae bono gestis sese eo dignos praebent. Quam duplicem gloriae suae coronam merito & virtute sua, Regiae dignitati coniunxerunt: nec ea priuari possunt, nisi per contraria merita, haeresi faciendo amittant. Nam si male sentiant de Fide, non iam sunt eius legitimi Defensores, sed sua culpa huiusmodi se tituli honore spoliarunt. Non enim insigniri eo merentur, nisi quamdiu sub vexillo Ecclesiae, a qua eum acceperunt, pergunt militare. Itaque Elifabetha Regina nullo sane iure inter ce-

teros dignitatis suae insigniores titulos, etiam hunc a patre suo relictum retinuit: quum potius odij illius, quo erga sanctam Romanam sedem Henricus flagrauerat, & barbarae eiusdem immanitatis sit haeres, quam eius boni, cuius commendatione omnes seculi sui Principes anteuenerat, ut qui tam gloriose armis Fidei, a Spiritu subministratis Ecclesiam propugnasset. Usurpat illa quidem *Proteclricis Fidei* magnificum titulum, sed simili profus vanitate qua alterum illum, Reginae Franciae, sibi vendicat. O inanes titulos, exstructos in aere, & vanissimae vanitati superstructos! Quidam Minister Gallicus Serresius, Reginae Franciae appellatione eam ornat: & obseruatum est, ipsam in Edictis suis, quum nostrorum Regum meminit, Reges illos indigitare, non Franciae, sed Francorum. Cupicilla audire *Proteclricam*, sed *In fidelitatis & Irreligionis* (si ita licet loqui) verius quam eius fidei, quae a Salvatore Mundi originem suam habet. Et tamen inanissima haec vanitas in Anglia omnium assentantium applausu comprobatur. Nulla re magis fascinantur, magisve delectantur Principes, quam huiusmodi assentatione: neque vllus est harum vanitatum terminus aut modus. Facillime enim quorum pectora sapientiae & verae gloriae inania sunt, falsae laudis vento inflantur, & turgescunt, blandientisque linguae veneno corrumpuntur. Simillima est gloriae umbrarum: utraque enim nihil est vanius. Sed eorum titulorum, qui nullo iure nobis conueniunt, honorem affectare, quid aliud est, quam ipsius umbrarum, & nihili nihilum? Quod tamen facit Elifabetha, cuius omnia facta titulis eiusdem contraria sunt.

V. Sed redeamus ad Henrici capulum, in quo aliter eum considerare non possumus, quam considerando eius putredinem, corruptionem, spurciciam, nequitiam, flagitia, & immanitatem. Tribus maxime vitijs inquinatus fuit, fornicatione, auaritia, & crudelitate. *Fornicatio* manifesta est in tot illegitimis nuptijs, execrandisque libidinibus, quibus indulgens cum luxuria coniunxerat haeresin, quae est animae cum diabolo adulterium *Auaritia*, in tot incendijs, expilationibus, sacrilegijs, per summam impietatem ab ipso commissis, in omnibus Regni sui Monasterijs, Ecclesijs & Hospitalibus, *Crudelitas* in eo, quod post dimissam Catharinam, e sex, quas habuit, vxoribus quatuor morte affecit, & praeterea duas Heroinas, & tres Cardinales, quorum postremus ob solam absentiam

condem-

condemnatus fuit: Magnates, hoc est, Duces, Marchiones, Comites & filios Comitum, duodecim: Barones Equitesque Auctos novem supra viginti tres. Archiepiscopus: Episcopus octodecim. Monasteriorum Abbates sive Priores, tredecim numerantur: Monachi, aut presbyteri, quingenti: Diaconi, triginta: Archidiaconi, quatuordecim: Canonici, ad sexaginta: Doctores Theologiæ undequinquaginta. Ex laicis necavit Nobiles trecentos quinquaginta sex: plebeios, centum viginti quatuor: & feminas centum & decem. Ex omni numero Martyres Solius Fidei Catholicæ causa occisi censentur centum quadraginta septem: quum ante interpositum divortium, animumque ad libidinem applicatum, non nisi Suffolciæ Comitem, & Eduardum Buchinghamiæ ducem, è medio sustulisset.

Viros literatos semper in precio habuit, curavitque ut ad publicas professiones homines docti promoverentur, quibus etiam auxit stipendia. Episcopus (præter unum Cranmerum Cantuariensem, qui ad hoc factus est, ut divortii negotio illius libidini subserviret) & doctos nominavit & minime malos; adeo ut plerique eorum postea, tam Eduardo quam Elisabetha regnante, ob Catholicæ fidei confessionem carceres & vincula subierint, nec pauci martyrii coronam acceperint. Sacramentum Eucharistiæ, quamvis id impedire conatibus hæreticis, summo semper in honore habuit. Iudicio exacto & gravi fuit, sed quod vini potu facile corrumpere: quæ res non raro subditis ipsius perniciem attulit, lenonibus, adulatoribus atque hæreticis (quibus Aulam ejus Anna Bolena repleverat) quidquid vellent ab ipso impetrantibus.

Levitas in quibusdam ejus actionibus fuit. Nam levissimis atque adeo ineptissimis de causis quosdam ab ipso magnis dignitatibus ornat. s. fuisse, historiis proditum est; ut intelligatur, posse etiam magnum Regem in stultitiam incidere, & se deridendum aliis propinare. Alius enim ob porcellum egregie assatum (quo genere cibi libentissime vescitur) alius ob Exedram regiam commodiori ab igne distantia dextere locatam, alius denique quod in lusu alexæ elegantius se ac facetius gereret, non beneficio solum, sed etiam honore auctus dicitur. Quod genus compensationis tam male atque inepte collocatum, Regiæ liberalitatis nomen non meretur.

Sed omnia, quæ perverse ab Henrico patrata fuerunt, in compendium conferre, eorumque summam quandam ad posteritatis memoriam monumenti loco transmittere, impossibile foret: & præ-

staret, æternis oblivionis tenebris eadē sepulcra jacere. Et sane hæc via est, qua (ut Plutarchus ait) improbi ad mortem contendunt, quæ in abyssum quandam tenebrarum eos præcipitat.

Quæ Mortis tenebra sapalus Acheronte refuso

Exomit obscuras atro de gurgite noctes:

defodiens eisdem atque absorbens in oblivionem Pluroni & Manibus sacram.

VI. Polus Cardinalis quandam sepulchri inscriptionem commentus est, quæ Henrici res gestas, tanquam in brevissima tabella tribus verbis descriptas conspiciendas exhibet. Verba ipsius hæc sunt: *Si quis vellet (inquit) unica inscriptione probrosissima, omnium ejus scelerum ac iniquitatum quasi summam quandam simul complecti; nihil esset tam efficax no idoneum (considerata Henrici vita) quam si sepulchro ejus insculperetur titulus ille, quo ipse in vna tantopere delatus est, SUPREMUM ECCLESIAE IN TERRIS CAPUT.* Hæc Polus Vbi considera mihi, Lector, quid mors possit. Iacent jam tituli illi superbi, jacent coronæ, jacet fastus jacent inimicitia adversus Ecclesiam suscepta: nec jam Henricus majorem vel in hoc seculo gloriam habet, vel in altero cruciatum, quam, *Fuisse.* Nam quæ communes omnibus sunt miseriæ, ab iis ne quidem Regalis dignitas est immunis. Monumentum Henrico magnificum positum est, quod etiam nunc Londini conspicitur, totum ex ære, vermiculato ad effigiem florum aliarumque figurarum opere circumdatum. Quod diutius fortasse durabit, quam duravit ipse. De nostris Regibus canit Ronfardus quæ cuilibet apres.

Sacra Dionysio cælo feruice templa

Lustrans spectabam Regum monumenta potentum,

Imperio quorum quondam concussa tremebat

Francia, qui magnos animos spes pictore magnas

Gestabant, fastu elati, quorumque voluntas

Lex erat, & fortis fera milite bella ciebant:

Hos ego quam in cineres & humum jam morte redactus

Nec plus quam truncum aut saxum jam posse viderē,

Dicebam tacitus: Tantum sunt nomina Reges:

Nam quæ ex tanto numero post funera viris?

At Henricus non viveret, nisi cum hac nominis sui perpetua infamia, quod infelicissimis auspiciis regnaverit, & hæresi viam patefecerit, quæ per ipsius libidines ingressa pedem in Angliæ Regno fixit. Manebuntque in hominum memoria depravati ipsius mores, tanta varietate, & vitiorum virtutumque tam admirabili pugna inter se collisi.